

Nam Tua res agitur, cum sic Ecclesia nutat:
 Reliquias serva, pro bonitate Tuâ!
 Serva SCHWEDLERUM, qui jam succedit A-
 DEMPTO,
 Suffice EI vires corporis ac animæ!
 Ut sacro-sancta DEI pandat mysteria plebi,
 Et doceat porro, quæ sit ad astra via!
 Da quoque Collegam SCHWEDLERO, qualis
 Achates,
 Nostro TORNAVIO fidus ADOLPHUS erat!
 Sic divinus honos: Si cporro Ecclesia crescet,
 Quam sibi in hoc Templo colligit alma Trias.
 Has DEUS ob Nati, (quia Nati nomine fundo,))
 Ut confido, preces pondus habere finet.

B. Dno. TORNAVIO, Præceptori olim fidelissimo; hæte-
 nus vero Amico & Patrono æstumatissimo, Gratitude,
 Amoris, & nunquam intermorituræ recordationis ergo
 f.

GODEFREDUS Köppler.



Conjugio Auspicatissimo

1606. 37.

Sponsorum lectissimorum,
 INTEGRITATE, VIRTUTE ET DOCTRI-
 NA ORNATISSIMI DN.
IEREMIÆ ZACHERI,

&

HONESTISSIMÆ PVDICISSIMÆQ.
 VIRGINIS,

SABINÆ BECCERÆ,

Integerrimi, Honestiss. & Consultissimi Viri,
 DN.

IOHANNIS BECCERI,

Reip. Gorlic. Senatoris p. m.
digniss. filia,

Amicorum voti væ gratulatio-
 nes dedicatæ

ad

3. id. VI 1 br. An. Christi 1606.

GORLICII

Typis Iohannis Rhambæ.



444112


m m



AD DN. SPONSVM OLIM
PRÆCEPTOREM.

Magna Sabinarum virtus fuit: hostibus hostes,
Conjugibus potuit conciliare viros.
Intra urbem cūm concursum est hostilibus armis:
Fœminei sexus suada sequestra fuit.
Talis & opto tibi contingat, Sponse, Sabina,
Quæ flectat suadâ teq; domumq; tuam.

Fridericus à Starschedel
in Bensen, &c.



PRÆCEPTORI SVO
BENEMERITO.

Quandoquidem oratus mihi metra negavit Apollo:
Vota fero, multum vota in Amore valent.
Fova Pater, Sponsus qui vos sociavit amantes:
Perpetuo vestrum firmet Amore torum.

Theodorus à Starschedel in Ben-
sen/Scharffenstein/Lipsiâ mittit.



NOVIS SPONSIS BENE
PRÆCATVR.

Oningij præses DEVS est, & præses amoris:
Non, quam mentita est turba profana, Venus.
Hoc duce quisquis init socialis fœdera læti:
Ne sibi propitium sentiet esse DEVM.
Huic aderit pleno cunctorum copia cornu,
Quis hominum in terris indiget usus, opum.
Hoc bene mente putans, IEREMIA, & corde revolvens,
Sollicitas precibus Numina sancta DEI.
Nempe petisuro thalamum tibi dexter ut adsit:
Et, quod cepisti ritè, secundet opus.
Ne dubita, DEVS autor adest, DEVS autor amoris:
Et secum facilis munera mille feret.
I pede felici, quò te trahit ardor amoris:
Non levis est Sponsa res placuisse sua.
Vivite concordēs: felices vivite: vestrum
Latifitent tandem pignora multa torum.

Gregorius Richterus Gorl.

*Assueri Convivium adeò moderatum fuit, ut
nemo ad bibendum cogeretur. Estheræ 1. 8.*

NON norunt nostræ convivia talia tædæ:
Quin unâ potius vivere nunc, bibere est,
Nec facile invenias multis è millibus unum
Cum sicca junctum sobrietate torum.
Hic stant sollicito servant qui lumine, si quos
Non exhausta prius reddere poela juvet.

Illic stant magnis bini ternive culullis
 Instructi, vini diluviumq; ferunt.
 Hi terni ternis mensâ ceu compede vinctis
 Cum magna tradunt relligione merum.
 Quid faciant vincti? respondent ordine, vel si
 Illia rumpantur, ventriculusq; crepet.
 Si fors molle adsit Vinum, nervisq; salubre,
 Non datur, hanc arcem fortior hostis amat,
 Durum nempe merum, quod mentem expectoret omnem,
 Oblitosq; sui reddat, humiq; trahat.
 Quod si tum Vinum vicit, vah gaudia quanta
 Surgunt? quàm tædæ hæ nobile nomen habent?
 Non ita cœnavit quondam PLATO, cujus amici
 Sunt quoq; lætati posteriore die.
 Non ita Spartani, quorum mos nobilis iste,
 Arbitrio ut biberet pocula quisq; suo.
 Tollite vos Sponsi, vos tantam tollite pestem:
 Vos equidem bibite, ast sit procul ebrietas.
 Ne quando soboles vestro de sanguine nata
 Audiat, ô juvenis, patre satus bibulo es.

M. Martinus Mylius.

Amor verus ex Deo, & perpetuus.

Qua sunt in mundo, sunt terrena atq; caduca:
 Certa salus ex his nulla petenda piis.
 Si spectes Gazas, regnum, fascesq; superbos,
 Quid juvat Attalica conditione frui?
 Quid possunt centum vacca? celsaq; taberna?
 Et qua magna suo pectore mundus alis.
 Ex his crede mihi timor atq; cupido resurgunt
 Sordidus, & sic Cor tale quiete caret.

Cur

Cur nos multa brevi fortes jacalamur in arvo?
 Rus parvum, & tenuis spiritus Omne satis.
 SOLVS AMOR magnus, divina ex luce resultans,
 Qui semper puro pectore pulchra petit.
 Hic est æternus, tenet hac hominesq; Deosq;
 Copula, & omne quod hac terra polusq; capit.
 Vnus inest amor omnibus: ut se mutua servant:
 Nil sine divino perpes amore manet.
 Hunc tu, SPONSE, fovet, hic vos constringit amantes,
 In vestro fulget pectore verus amor.
 Solus hic irrupto cohibet duo pectora nexu:
 Cuncta potest ferre, & frangere dura valet.
 Ignea vos nunquam divellet flamma chimæra,
 Nec si Centimanus prodeat ipse Gyges.

Franciscus Wendlerus Philo-
sophiæ & Med. D.

NOVIS SPONSIS S.

Intrantem thalamos fati te, Sponse, jugales,
 Erudiat Castus Turtur, imago tori.
 Ardet amans sociam volucris: nec jura resolvit:
 Nec laniare genas Conjugis ungue parat.
 Alitis assistunt vigiles, Concordia, læto,
 Aurea perpetuè pax simul atq; pudor.
 Sic tibi cum Nupta Concors & Casta jugalis
 Vita, sacer tristi sit sine felle torus.
 Sint in amore duces sine felle, Marite, Columbæ:
 Prospera connubio, tempora cuncta fluent.
 Hæc precor, hæc opto: thalami, pia cœpta secundans
 Inventor, votis annue Iova polo.

Johan. Hachelberg Govl. Verbi
divini in Patria Minister.

A 3

Ad

AD IEREMIAM ZACHR. ET
SABINAM BECCERAM
SPONSOS.

Delirare putat, malesano peccare Vates
Thurius: in thalamum cui nova nupta venit:
Quod vir femineo submittat colla capistro:
Cum melius fuerit vita peracta prior.
Atq; adeo censet: si cui sit curia supellex,
Angustiq; lares cistulaq; aris inops,
Infamem potius fieri debere: maritam
Quam velit in thalami ducere septa sui.
Esse onus uxorem, cui non sit census in arca:
Qua tantum lites imperiosa serat.
Vxores itidem locupletibus esse molestas:
Qui Domini nequeant amplius esse sui.
Quas verò effutis nugas infamis Alexi?
Dignus, quem crepidis femina quaq; notet.
Formosum in sexum Veneris Charitumq; propagem,
Impius, in matrem, scommata dira jacis.
Matri longa decem tulerunt fastidia menses:
Præmia sed tanti quantæ laboris habet?
In bene promeritum sexum convicia jactas:
Et matrem ingrato conspuis ore tuam.
Futilis, infamis, nugax habere necesse est:
Qui socci calcas impietate lares:
In quorum gremio puer es nutritus & altus:
Dum demessa tibi barba novella cadit.
Absq; quibus fores: haud Pimpleæ cacumina quibus
Scandere, & hoc tanti vatis habere decus.
At tu, Sponse, pio dum captu amore Sabina,
Vincla subis thalami: recta & honesta sapis.
Hoc sapere est: famam ad seros proferre nepotes:
Venturo seculo prognerare viros.

Dotibus

Dotibus ingenii tu cultu & ore disertu,
Nunc aliquid nomen non sine laude geris:
Obtingent porro tibi nomina plura: mariti
Post etiam (blandum nomen utrunq;) Patris.
Fortunata diu perages cum compare seclæ,
Inq; tuâ aeternum prole superstes eris.
Maeste animo & virtute tuâ, sis pectore magno:
Publica res gaudet cive bonoq; patre.

M. Elias Cüchler P. C. Præceptor
Scholæ Gorlic.

Novis Sponsis.

Casta Deus mens est, hominis quoque pectora
(casta
Ipse probat, turpes odit & ipse facis.
Unde modum posuit flammis, & conjugæ sacra
Sanxit, quæ flammæ sunt medicina vaga,
Quem dum, Sponse, modum sequeris, tuæ collaq; subdis
Legi: Iehova velle sub orbe facis.
Vivite concordēs, Sponsamq; amplectere Sponse:
Jeremiam contra pectore, Sponsa, fove.

M. Fridericus Papa
Gorlicius.

AMICO SVO GRATVLATVR.

Splendida dives opum variarum munera donet,
Et vestro favcat nunc Hieremia thoro.

Nos

Nos cupidis tantum votis certare parati,
Vt Sponsis absint aspera fata novis.
Parcite vos Parcæ: Sed vestris dicite fufis,
Leniter ut currant: Sit sine felle thorus.
Gratulor ergo tuo nunc dilectissime Sponse
Conjugio, & vobis vota secunda fero:
Omnibus ut vestri thalami feliciter annis,
Donec Iova volet, tempora læta fluant.
Vivite Concordes, tranquillam ducite vitam,
Christicolis dignam: Sic propè Christus erit.

Gregorius Hauffius C.

Amico amico.

Multa toris passim cantantur Carmina, Sponse,
Votorum ac Genii sit tibi quicquid habent.
Ne tamen implicito minor insit gratia voto;
Adprecor explicitè Nectar & Ambrosiam.
Ambrosia & Nectar sunt potus & esca Deorum:
Hæc tamen & terris intulit almus Amor.
Est tibi, sitq; precor, Nectar quæ misceat Hebe,
Ambrosia succos fallor? an ipse dabis.

M. Matthias Hoffman,

HIEREMIAS. SABINA.

ἀναγκαστικῶς.

HEL,

HEI, MISERA AN IBAS!
I, MEA ERIS AN ABIS!

VT Sponsus Christus Sponsam, quæ Ecclesia ve-
(ra est,
Protegit, & calido semper amore fovet;
Sic contra clamore suum sua Sponsa fatigat,
Nec cessat, Sponsum ritè vocare DEUM;
Quod nobis liquidò Salomonis mystica produnt
Cantica, quæis certè non leve pondus inest,
Sponsorum nobis id nomina bina novorum
Inculcare etiam, res facit ipsa fidem:
Dum Sponsæ nomen si retrò volvis, AN IBAS!
Ac; AN ABIS! id idem voce gemente rogat:
Et Sponsi; HEI, MISERA; I MEA ERIS, respon-
(det amicè
Nomen, transponas si modò litterulas.

Tunditur in terris Ecclesia mille periclis:
Exitio miserè proxima sæpè jacet;
Sicut & à Sponso prorsus deserta putetur,
Cogatur tales edere & ore sonos:
AN tantum Salvator ABIS! huc dirige cursum,
IBAS AN procul hinc? quæso referto pedem:
O pie Sponse veni, rebus succurrito lapsis,
Te tua Sponsa fitit, quærit, anhelat, amat.

B

Vocibus

Vocibus his blandis Ecclesia pectora mulcet
 Sponsi; qui dexter sæpè vocatus adest;
 Condolet, ac Sponsam rebus solatur in arctis:
 Hæc, MISERA, inquit, tu sis mea Sponsa licet:
 Attamen I comitante fide, mea iussa capeffens,
 Fer, patere & sequere, hîc I, M B A semper E R I S;
 Hac ego te subitò curarum mole levabo,
 Et tandem mecum cœlica ad astra veham.
 Ergò age Sponse, tuã Sponsam redamatus amato,
 Hanc tege, quâcûq; potes parte juvare, juva.
 Sponsa tuum Sponsum pariter reverere & amato,
 Prima D E I tibi sit, proxima cura viri.
 Sic Ecclesiolæ Sponsus vobis benè dicet,
 Ac thalamo vestro mitia Fata dabit.

E T E O Σ T I X O N .

LVX VnDena VenIt SepteMbrIs, Spõse, VenVsta
 Sponfa SabIna toro IVngItVr Ipsa tVo.

Nicolaus Theophili.

D N.

I E R E M I Æ Z A C H E R

novo Sponfo.

Dialogus Iunonis & Palladis.

Certamen Iunoni olim cum Pallade doctâ
 (Prisca si fama credimus) acre fuit.

Vtrum

*Vtrum esset satius vacuo requiescere lecto,
 Vel socio thalami subdere colla iugo?*

I V N O .

*Iuno ait, hic nimipum est felix nimiumq; beatus
 Et fructus inde & commoda mille capit,
 Qui sequitur parilis nec spernit vincula visæ
 Vincula non ullo dissoluenda die,
 Quæis spretis vastam minitantur cuncta ruinam
 Orbis & immensi machina curva ruit.
 Idcirco, quicumq; sapi, cum coniuge coniunx
 Vive obiens liciti munia casta tori.*

P A L L A S .

*Mox Pallas, longè est felicior ille putandus
 Et requie fruatur liberiore, refert,
 Aversante animo cælebs qui temnit amara
 Gaudia coniugii deliciasq; breves,
 Mania quo vallo & triplici circumdata muro
 Magnorumq; ruunt tecta superba Ducum.
 Hoc facit ut Reges hostili pectore bellum
 Poscant, & rabidus vertat in arma furor.
 Ergo supercilio tadarum vincla superbo
 Despice, declines ò mare triste mali.
 Coniugium nihil est aliud nisi luctus & angor
 Affligit nuptos quod sine fine novos.
 Nunquam dulcis adest requies & pura Voluptas
 Perrarò curis libera vita datur.
 Sæpè proterva, effrons, nequam, sæpe improba coniunx
 Insidias tendit sæpe dolosa mari.
 Commaculat fuso jam Natus sanguine dextram
 Degener, ob facinus suppliciumq; luit.
 Iam Zonam amittens violatum & Nata pudorem
 Parturit incerto patre paritq; domi:*

B 2

Ægrum

*A*Egrum nunc corpus morbi vis dira fatigat
 Nunc perit igne domus copia, gaza, pecus:
 Nunc sero victus morbo cadit unicus heres
 Qui matris fuerat spes, baculusq; patris.
 Eheu quam maestis resonant plangoribus ades
 Tunc, ni vis & lacryma more madentis eunt.
 Panis nunc ater mundumq; monet a gubernans
 Deficit, hinc friget cella penusq; simul
 Nunc pauper tenui cum victu desit amictus
 Incensus raro lucet & igne focus.
 Ergo onus atq; jugum, quicumq; es, rejice tale
 Accane, pestifero peius & angue fuge.
 Nam qui foeminei stimulis agitat amoris
 Affectat miseri coniuga iura tori,
 Imperium certè talis venundat herile
 Iusq; potentatus omne resignat habens.
 Et quoniam assidue dos est uxoria lites
 Aspera mercatur jurgia dote sibi.
 Qui querit nuptam, quarit genus omne dolorum
 Et sudoriferi triste laboris onus.
 Virginitas merito censeatur nobile donum
 Turpia nam pellit pectore quaq; mala.

I V N O.

*H*ec Pallas: mox his facundo obmurmurat ore
 Filia Saturni & mutua dicta refert.
 Copula coniugij dulcis mellitaq; res est,
 Mille voluptates vita jugalis habet.
 Coniugium verè fors est optata bonorum
 Quod DEVS instituit pronubus autor opus.
 Hoc multam profert, caeli plantaria, prolem
 Qua placito IOVAM laudis honore colit.
 Iucundos uxor relinquit fida parentes
 Sectatur proprium nocte dieq; marem.

Si con-

Si coniunx magno curarum fluctuat aestu,
 Assidet ac Dominum lata dolore levat.
 Est maesta, & tristi premit altum corde dolorem
 Maerentem pariter sentit & ipsa virum.
 Est lata, & trepidis exultant pectora fibris
 Latantem pariter sentit & ipsa virum.
 Surgit fors casus vita aut commune periculum;
 Ambobus requies & cadit una salus.
 Legitimo fiunt thalamo qui prole parentes
 Illorum nomen tempus in omne manet.
 Ergo connubio dulcem tibi iunge maritam,
 Nec genus hoc vita rejice, sperne, fuge.
 Non onus est sed honos thalami consorte potiri
 Qua priva existat fida columna rei.
 Donum uxor Divum est, gemmas quod vincit & aurum
 Quicquid & in magno nascitur Oceano.
 Nam talis coniunx privata negotia tractat
 Atq; domum veluti sedula curat apis.
 Omnis in hac fidi fiducia fida mariti,
 Non hanc turba movet luxuriosa procum.
 Dilectum casto semper fovet igne maritum
 Inq; verecundo, corde perennat amor.
 Lausq; decusq; viri est, mundo quia gaudet amictu,
 Nec fastus tumida mente superba gerit.
 Et quodcumq; suis fore colligit utile rebus
 Procurans magna sedulitate parat.
 Nec minor est Virtus quam querere, parata tueri
 Quasitum asseruat perstudiosa bonum.
 Semper egens est sed pellex obscena supellex
 Ac parti saltem turpis hirudo boni.
 Prosternit cuiusvis precio mercabile corpus
 Est male-fida, procax, callida, plena dolu.
 Crede mihi nunquam nubentum Marte vel arte
 Panguntur socij foedera sacra tori:

A 3

Sed

Sed nodus fato Divino necitur iste,
Idem fatali deniq; lege cadit.
Vivere qui vultis, sociali vivite lecto
Approbat hoc superum caelica turba Deum
Virginitas sanè jaçetur nobile donum,
Tota tamen vità caelibe vita perit:
Orbem ni terra crescens façtura subinde
Suppleat, exiguo tempore inanis erit.
Qui colit, ille sapit, liciti consortia lecti
Namq; potest mundo reddere prole vicem.
Hic tandem factò dicendi sine quievit
Iuno, astitis pendens tota relicta fuit.

Quaritur ergo aquus nunc censor & arbiter aquus
Qui dirimat litem dissidiumq; grave.
En astas aquus censor, Doctissime Sponse,
Dum tadas & jus connubiale paras.
Maçte age Tu controversam jam discute litem
Quam Pallas movit savag; Nupta Iovis:
Iunonis mecum pariter consulta probato
Vera, sed armifona respue dicta Dea.
Auspiciis o sat felicibus annuis, o sat
Componis rectè jurgia litigii:
Nam sunt plena bonis geniali commoda lecto
Qua nullus fando commemorare potest.
Ergo, IEREMIA, votis, Neonymphe, secundis
Coniugium subeas prospiciente DEO.
Sospitet hoc IOVA, à quo tanquam fonte perenni
Perpetuis manat copia larga bonis
Et jubeat Pietas, caelo gratissima virtus,
Ignibus inspiret robora firma novis.
Idem etiam jubeat mitis Concordia vestro
Asideat lecto & Pacis alumnus Amor.
Idem etiam jubeat pascant ut Gratia mensam
Atq; Fides, servent Paxq; Quiesq; domum.

Idem

Idem etiam jubeat vobis tot pignora lecti
Vt sint, quot votis optat uterg, parens.
Idem etiam jubeat ne desit copia rerum,
Quis minimè prasens vita carere potest.
Idem etiam jubeat fecunda ut vinea vinum
Suppeditet, dulces atra culina cibos.
Idem etiam jubeat mens sana in corpore sano
Vt sit quod mastos duret ad usq; rogos.
Hac Tibi, IEREMIA, opto, Sponse tuaq; SABINAE
Christe sinas votum pondus habere meum.

M. Christophorus Hermannus;



M. Christophorus Henricus

V I R O
Rev. Docto, Humano, & culto
D N.
**M. ELIÆ THEO-
DORO F.**

Fideli & sincero Animarum in War-
taw Silesiorum, Pastori;

&
DOROTHEÆ,
Lectissima Pudicissimaque
Virgini,

Honesti & Integerrimi Viri,
D N.

FRIDERICI WANNI,
Civis quondam Gorl, p. m.
relictæ filiz:

a. d. XIV. Kal. Octobr.
Bene-Conjugandis, |

BONA comprecantur BONI.

GORLICII
Typis Iohannis Rhambæ. 1606.



444113

h n